

pernent secundum sensum litteralem ad ob-
jectum charitatis, tam quoad actum, quam
quoad ordinem, & idem dicendum est de ce-
teris præceptis Decalogi, Exod. 20. à n. 2. *Non
assumes nomen Dei tui in vanum.* Et iterum :
Honora patrem tuum, & matrem tuam. Sicut &
illud Joan. 14. n. 1. *Creditis in Deum, & in me
credite.* Ita & sicut habetur apud Matth. 28.
n. 19. ait Christus. *Euntes docete omnes gentes
baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, &
Spiritus sancti.* Sive hoc sit per modum consilii
Matth. 19. num. 2. *Si vis perfectus esse vade, &
vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Quæ
omnia verba, non ad sensus spirituales, sed
prout sonant accipienda sunt in sensu literali.
175. Hæc doctrina, quod non semper in omni
loco Scripturæ quærendus sit sensus spiritua-
lis, & allegoricus, est de mente Sanctorum Pa-
trum. Sic habet D. Augustinus lib. 17. de Ci-
uitate Dei cap. 3. & inquit. *Mihi autem, sicut
multum videntur errare, qui nullas res gestas
in eo genere litterarum, aliquid aliud, præter
id, quod eo modo gesta sunt significare arbitran-
tur, ita multum audere; qui prorsus sibi omnia
significationibus allegoricis, involuta esse conten-
dunt.* Et passim D. Hieronymus in suis dam-
nat Origenem, qui omnia dicebat allegoriis
plena & etiam eundem Origenem hac de causa
reprehendit D. Epiphanius lib. 2. hæresi 61.
epistol. ad Joan. Ierosolymit. & ait: *Non omnia
habent verba divina opus allegoria, sed prout
se habent accipienda sunt.* Ergo licet frequen-
ter in multis locis sacræ Scripturæ detur sensus
mysticus, non tamen in omnibus quæ-
rendus est, ut jam dixi ex D. Augustino.

An sensus mysticus sit excellentior
litterali?

176. Theologi. Conueniunt omnes Theologi 1. p. q. 1. art. 1.
quod uterque sensus est nobilissimus ex parte
materiæ, uterque enim agit de Deo, & creaturis
de Christo, & membris eius, de Ecclesiaque
militante, ac triumphante, proindeque pro no-
bilitate utriusque sunt variaz rationes. Nam
unus sensus in aliquibus excedit, alius in aliis
præeminet. Tota quæstio est, quisnam absolu-
tè, & simpliciter sit excellentior? Multi pug-
nant pro sensu mystico, & spirituali, quorum
fundamenta postea apponam.

177. Tamen, quod sensus litteralis sit excellen-
tior, mihi magis aridet. Ita Vasquez 1. part.
disp. 16. cap. 4. Lahay in Prolog. ad Bibliam Ma-
ximam, sect. 10. cap. 8. Probatur primò. Quia
sensus litteralis ordine generationis præcedit,
& est fundamentum sensus spiritualis, ut su-
pra dixi quæst. 12. num. 155. Deinde sensus
spiritualis à litterali sumit suam bonitatem :
nam si coheret cum litterali admittendus, si
ab illo discrepat, ac discordat, rejiciendus est;
à fundamento enim defumitur totum esse rei.
Sic Christus Dominus dicitur Ecclesiæ funda-
mentum, quia in ipso tota Ecclesia enititur, &
ab illo habet suum esse. Secundò ex universali-
tate. Quia in omnibus locis Scripturæ datur
sensus litteralis, non verò sensus mysticus, ut
dixi superiori quæst. n. 155. 156. Tertio. Quia in
vocibus illud est præstantius, & excellentius,
quod immediate ac proximè per ipsas voces

significatur; sed in sacra Scriptura sensus lite-
ralis immediate significatur per ipsas voces,
sensus spiritualis remotè; ergo sensus litteralis
nobilitior est. Minor in qua est difficultas, Pro-
batur, quia significatio primaria vocis est
præcipua, & principalior.

Opponunt adversarii Primò. Finis nobilitior
est, quàm ea, quæ ordinantur ad finem atqui
sensus litteralis ordinatur ad spirituales, ut ad
finem; ergo iste nobilitior. Negatur major; nunc
sensus litteralis non ordinatur ad spirituales,
ut, ad finem, sed ad suum litteralem, ad aperien-
da altissima fidei mytheria, ac ea quæ ad salu-
tem pertinet. *Esto fidelis usque ad mortem, &
dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. 2. 3.

Opponunt secundò. Patres laudantes sensum
spirituales, litteralem dicunt corticem,
spirituales nucleum, seu medullam, & librum
Apocalyp. 5. scriptum intus sensu spirituali, Apoc. 5.
foris sensu litterali; & sicut in naturalibus
interiora sunt nobilitiora, ut cor, & anima, ita &
in spiritualibus; & ita arca fœderis erat in San-
cta Sanctorum maximè recondita. 3. Reg. 8. n. 6

Respondetur, quod Sancti Patres appellat
sensus litteralem corticem, quia est primus,
& immediatus sensus verborum, in illo ta-
men non cognoscunt nudam corticem, sed
etiam supremam, & altam medullam, ut in
illis verbis Isai. 7. num. 14. *Eccc Virgo concipiet, &
& pariet filium.* Luc. 1. *Concepit de Spiritu sanc-
to.* Sicut de Incarnatione Verbi divini in utero
Virginis. Joan. 1. *Verbum caro factum est.*

Et de mysterio Sanctissimæ Trinitatis Mat. 28.
*Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, &
Spiritus sancti.* In sono horum verborum aper-
tus, & clarus est sensus litteralis, tamen ibi altis-
sima medulla tantorum mysteriorum re-
condita est, quæ superat omnem intellectum.

Ille autem liber Apocalypseos dicitur scriptus
intus, & foris tam per sensum litteralem, per
quem nobis valdè abditæ, ac intima nobis
traduntur, & etiam pertinentia ad ipsum
sensus mysticum, qui ex ipso literali, deduci-
tur. Ad confirmationem de rebus abditis, illud
erit verum quoad res physicas, non tamen
quoad objectum cognoscitivum; nam quàm
majorem præbet sui cognitionem, tantò illu-
striori, ac meliori modo habetur, ut patet
in visione beata, in qua Deus per cogniti-
onem intuitivam meliori modo participatur,
quàm cognitione obscure per fidem.

An sensus per accommodationem sit
admittendus.

Sensus accommodativus datur per quandam
extensionem, consecutionem, ac similitudinem
maximè retinendus, ac approbandus est, vel ad
virtutem exhortandam; ideo Ecclesia in matu-
tino nobis semper præponit gesta Sanctorum,
quæ ut ait D. Ambr. lib. de Joseph cap. 1. *San-
ctorum vita cæteris norma vivendi est, ut tra-
mittem eorum virtute referatur imitantibus
vestigiis prosequamur.* Vel ad virtutem ali-
cujus laudandam ut Ecclesia pro celebran-
da virtute alicujus Sancti Confessoris uti-
tur verbis illis, quæ Christus Dominus dixit
de Nathanaele. Joan. 1. num. 47. *Eccc vere
Israëlitæ, in quo delus non est.* Sic & Ecclesia
Sancto

Sancto Pontifici adaptat illa verba. *Non est
inventus similis illi.* Ecclesiast. 44. num. 20.
quæ dicta sunt de Abrahamo. Sic & Eccle-
sia in festivitate Sanctorum Martyrum Joan-
nis, & Pauli decantat illa verba: *Hi sunt duo
oliva, & duo candelabra lucemia an e Domi-
num.* Apoc. 11. num. 4. quæ dicta sunt de
Eliæ, & Henoch.

Vel etiam componuntur ad arguenda pec-
cata. Ut illud Isai. 1. n. 4. *Va genti peccatrici, po-
pulo gravi.* Et ad increpandos flagitiosos Præ-
latos Ezech. 34. n. 2. *Va Pastoribus qui disper-
gunt gregem meum.* Et sic in multis aliis.

Tamen hæc tria notanda sunt. Primò quodd
verba sacræ Scripturæ nullo modo accommo-
dentur ad facietas, vel spurcitas, vel prophana.
Hoc sub rigidis pœnis prohibet Concil.
Trid. sess. 4. in Decreto de Editione librorum,
ac eorum usu, & facit injuriam divinis verbis
ut docet D. Thom. 2. 2. q. 168. art. 2. ad 1. ubi
Gajetanum docet peccare prædicatores, si ali-
quid ridiculum prædicationi Evangelicæ ad-
miscant, & Azor. tom. 1. lib. 8. c. 2. dub. 4. ait ne-
fas esse Scripturarum sacrarum verba ad pro-
fanam, & vanam interpretationem converte-
re, & rigidè prædicatores de hac re puniendi
sunt; tum, ex hoc Decreto, tum ex Concilio
Lateranensi sess. 11. de quo multa habet Bar-
bosa de potest. Episcop. q. 13. Alleg. 76. n. 48.

Secundò requiritur, ut sensus accommoda-
tivus non introducatur, ac astruatur, ut sensus
litteralis, quod maximè reprehendit D. Hieron.
epist. ad Paulinum. Tertio, ne verba sacra in
sensu impio accommodentur, ut Michael Ser-
vetus, Lutherus, & Calvinus fecerunt, qui illud
Apoc. 12. n. 17. *Michaël, & Angeli eius,*
sibi ipsi iniquè, ac turpiter adscribebant.

184. D. Hieron.
185. Late ran.
Barbosa.
186. D. Thom.
Cajer.
187. Azor.
188. Trident.
189. Isai. 1.
190. Ezech. 34.
191. Apoc. 11.
192. Apoc. 11.

QUÆSTIO V.

De figuratis locutionibus, ac figuris
imaginariis Prophetarum.

SUMMARIUM.

- 185. Figura definitio ex Quintiliano.
- 186. Deus loquitur nobiscum more humano, ac
proinde per figuras.
- 187. Explicatur multis exemplis figuras dari
in sacra Scriptura, & n. 188.
- 189. Figura in sacra Scriptura aliquando sunt per
res imaginarias, aliquando per veras res.
- 190. Sensus litteralis in hujusmodi figuris est id,
quod per eas significatur, & n. 191.
- 192. Quod etiam reperitur in figuris, quæ sunt
per veras res.

Figurata locutio.

185. Gizeus. Quintil. Figura, quæ Græci Schema dicunt, sic defi-
nitor à Quintiliano 1. 9. c. 1. *Est conforma-
tio quadam orationis remota à communi, & pri-
mum se offerente ratione.* Ponitur Conformatio
loco generis: nam datur conformatio rei ad
rem, nominis ad nomen: Cætera ponuntur
loco differentiz, & dicitur remota à communi,
ratione, seu simplici modo loquendi, cum vir-
tute delectatur juxta materiam subjectam, &

loquentis personam ad majorem efficaciam,
ac energiam, v.g. ut Apollolus loquitur per
interrogationem. *Quis nos separabit à cha-
ritate Christi? an tribulatio, an angustia, &c.*
1. Cor. 9.
1. Corinth. 13. num. 1. ac aliis figuris, & tropis
explicandis.

Et absque dubio hujusmodi figuratæ locu-
tiones, sunt in sacra pagina, ut notat D. Aug. D. August.
lib. 1. c. 12. Et ratio fundamentalis est, quia
Deus loquitur nobis hominibus per sacram
Scripturam, tanquam per instrumentum vivū
more humano, atque more humano in omni
idiomate sive Hebraico, Græco, & Latino
hæc figurarum Ironia, Hyperbole, Synecdo-
che, Antonomasia, Anthyphrasis, est frequens
usus sine veritatis, aut decentiæ præjudicio,
imò eum magna utilitate, jucunditate, ac ele-
gantia juxta frequentissimum hominum usum
ergo, &c.

Quod facile demonstratur per singula: Iron-
187. 186.
nia est, quæ contrarium ejus, quod dicitur vo-
lumus pronuntiare, ac ostendere, ut Gen. 3. n. Gen. 5.
2. 2. *Eccc Adam quasi unus ex nobis factus est,*
sciens bonum & malum. Sic & Elias ad Prophe-
tas Baal cum ironia dicebat. 3. Reg. 18. n. 27.
Illudebat illis Elias dicens: *Clamate voce ma-
jori, Deus enim est: & forsitan loquitur, aut in
diversorio, aut in itinere, aut certe dormit, ut ex-
citeur.* Secundò, Hyperbole, est dictio quadam,
fidem excedens, augendi, minuendive causa.
Sic David de Saule, & Jonathæ dicebat. 2. Reg.
1. n. 23. *Aquilis velociores, leonibus fortiores.*
Amos 2. n. 9. *Altitudo Amorrhæi, altitudo Ce-
dri dicitur, & Numer. 13. n. 24. Vidimus mor-
stra quadam filiorum Enac, quibus comparati,
quasi locusta videbamur.*

Tertio Synecdoche datur, eum totum ponitur
pro parte Marc. 16. n. 6. *Jesum quartis Nazare-
renum, id est corpus Jesu.* Vel secundò poni-
tur pars pro toto Sap. 4. n. 1. *Per feros fluctus
iter facere incipiens, ligno portante se fragillius
lignum invocat.* Ponitur lignum pro navi. Ge-
nes. 6. n. 12. *Omnis caro corruperat viam suam.*
Quarto, Antonomasia, quæ sic definitur à
Beda, est significatio vice nominis posita: cum
ex aliquibus accidentibus significatur perso-
na, vel moribus ejus. Psalm. 88. num. 11. *humi-
liasti sicut vulneratum, superbum.* Ubi super-
bi nomen, quod est commune pluribus, pro
Lucifero, qui in superbia eminet ponitur; sic
frequenter vir crudelis dicitur Nero, vel Do-
mitianus. Quintò Anthyphrasis, quæ suis verbis
contrarium significat, & per hæc figuram di-
citur lucas, quod minimè luceat bellum; quod
nihil in eo sit bellum; benedicere, pro maledi-
dicere usurpatur, ut illud uxoris Job ad
eum 2. num. 9. *Benedic Deo & morere.* In quo
loco pro reverentia Deo debita, in modo lo-
quendi, verbum benedicere pro maledicere
sumitur.

Quisnam sit sensus litteralis in visio-
nibus imaginariis, ac rebus
figurativis.

P. o hujus rei intelligentia notandum,
quod res, quæ aliquid significant in sacra
Scriptura, sunt in duplici differentia: quæ-
dam enim sunt imaginariæ, quæ mentibus
C 3 Pro-

Prophetarum obijciuntur, ad aliquid significandum; alia sunt veræ res, quæ assumuntur, ac proponuntur ad aliquod indicandum. Hoc posito.

190. Sit prima conclusio: sensus literalis desumitur ex rebus imaginariis per ipsas significatis, quæ mentibus Prophetarum obijciuntur, eas contemplantibus, sive in somnis, sive in vigiliis. Abrahamo gravi somno detento, ut dicitur Genes. 15. num. 17. Cum occubisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clybanus fumans, & lampas transiens inter divisiones illas. Significabat Clybanus populi sui servitutem Ægyptiacam in luto, & latere, quem in suis fornibus coquebant Hebræi. Lampas transiens significabat Deum, cujus imago est lampas; ista transiens per divisiones, more antiquo fœdera pangenitum: nam ut notant ibi Lyranus, Abulensis, & alii, olim iniens pactum, vel fœdus firmum cum alio, inter partes animalis occisi transibat.

Lyra. Abulens.

191. Daniel. 8.

Jerem. 1.

Sit & aliud exemplum. Propheta Daniel 8. num. 4. vidit hircum caprarum venientem ab Occidente, & percussisse arietem, ac concussisse illum. Hircus denotabat Alexandrum Magnum, sicut & Arias Darii Regem, qui ab Alexandro, victus, & occisus est. sic & Jeremias 1. num. 13. Vidit ollam succensam, quæ significabat Jerusalem succensam à Nabucodonosore; & tamen in his visionibus, nec clybanus, nec lampas, hircus, vel Arias, & olla succensa, sumuntur pro suo significato materiali, sed significata per hæc, est eorum sensus literalis. Et probatur, quia hæc verbi gratia clybanus, lampas, &c. significabant aliquid, vel non: hoc secundum dicit non potest, quia illa sunt instituta à Deo ad significandum: ergo dicendum est primum; atqui illa non sunt ostensa pro eorum significato præcisè, pro hircu, vel ariete, verbi gratia, sed pro his, quæ denotabant; ergo ipsa denotata est eorum sensus literalis.

192.

3. Reg. 11.

Secunda conclusio. Sensus literalis aliquando significatur per res veras, & reales. Scisura decem, quæ ex Dei imperio Achias Sionites tradidit Jeroboam, ex novo pallio, quo operatus erat. 3. Reg. 11. num. 31. literaliter significabat Salomonis regnum scindendum esse, & decem ejus partes, id est decem Tribus tradendas esse Jeroboam. Isaias discalceatus incedens ex mandato, 20. num. 2. per compita Civitatis ad litteram significabat Ægyptios, & Ethiopes nudos, & discalceatos, seu ab omnibus suis rebus expoliatos, in captivitatem ducendos esse per Regem Assyriorum.

193.

Oppones. Sensus literalis est ille, qui significatur per voces, spiritualis autem per res; ergo sensus literalis non coalescit ex rebus, sive veris, sive imaginariis. Respondetur quod illa descriptio sensus literalis, ita est intelligenda, quod sensus literalis desumitur ex vocibus, & rebus, cum res proponuntur loco verborum, tunc res sive veræ, sive imaginariæ significant tanquam verba, & inserviunt ad sensum litteralem.

RESOLUTIO III.

De Auctoribus Canonice sacre Scripturae.

QUESTIO PRIMA.

Deus supremus Scripturae Auctor, an etiam per se immediate aliquid scripserit.

SUMMARIUM.

- 194 Deus totius Scripturae Auctor.
195 Quæ ab Scriptura dicitur, dici dicitur à Deo
196 An Deus aliquid per se immediate scripserit, prima sententia negativa.
197 Ponuntur illius fundamenta.
198 Secunda sententia opposita affirmat.
199 Tertia, & probabilior media via incedit.
200 Probatur prima pars triplici fundamento.
201 & n. 201. 202. & 203.
204 Probatur secunda pars.
205 Responderet ad primum fundamentum, & num. 206.
207 Ad secundum probabilis sententia, quod Deus aliquando per seipsum locutus fuisset cum Patribus antiquis, saltem in aliquo raro casu.



UCTOR totius Scripturae Deus est. Sic ait Paulus 2. Timoth. 3. n. 16. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est. Osee 12. n. 10. in persona Dei ait: Locutus sum super Prophetas, & ego visionem multiplicavi, & in manu Prophetarum assimilatus sum. Et eodem modo ipse Christus Dominus verus Filius Dei, ait per Isaiam 53. n. 6. Ego ipse, qui loquebar, ecce adsum. His concinit Paulus Hebræ. 1. n. 1. Olim Hebræi Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in filio. Sic Zacharias canit de Deo Luc. 1. n. 70. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum. Luc. 1. n. 4. Dominus dedit mihi linguam eruditam. Et statim subdit: Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum, ac si linguam eruditam habere non posset ad divina mysteria evulganda, nisi prius ad auscultandum promptam aurem accommodaret, & ut denotaretur, quod ea, quæ scribebat, non erant suo ingenio excogitata, sed à divino Spiritu afflata, ac inspirata. Sic loquitur D. Chrysol. in Psalm. 48. & ait: Scriptor Canonice à divino Spiritu accipit, quod in populum eructat. De qua re non esse dubitandum, significat D. Paulus, an experimentum quæritis ejus, quæ in me loquitur Christus 2. Corinth. 13. n. 3.

D. Chryf.

2. Cor. 13.

195.

Confirmatur, quia cum Deus sit Auctor Scripturae quæ dicuntur, dici à Deo dicuntur dici ab Scriptura, ait Deus per Moysen ad Pharaonem Exod. 9. num. 16. Idcirco posui te

Exod. 9.

ut ostendem in te fortitudinem meam. Quem locum referens Apostolus ait Rom. 9. n. 17. p. Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipso excitavi te: ut ostendam in te virtutem meam. Cum Deus sit auctor Scripturae, idem est, quod Deus dicat, ac quod Scriptura dicat, Isaias 7. n. 13. reprehendens populum quod verbis Dei fidem non adhiberet, ait: Audite domus David, nunquid parum est vobis, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Chaldaeus. Quia molesti estis verbis Dei mei? Psal. 114. n. 3. Ut videat si est intelligens, aut requirens Deum. Chal. Ut videat, num sit intelligens, qui quarat doctrinam à conspectu Dei. Ubi vides Deum ut Auctorem ab ipsa Scriptura non seungi, sed pro illa poni.

196.

Abul. Banes. Perez.

Lorinus. Lorca. Salian.

Salian. Carthuf. Benavid.

197. Galat. 3.

D. Anselm.

D. Thom. D. August.

168.

Rupert. Sixt. Senen. Lyran. Cajet.

Oleaster. Corneli. Nieremb.

Tertia sententia media via incedit, & distinctione utitur, ait quod primas legis tabulas Deus sua virtute per seipsum scripserit; secundas verò mano Moysi factas esse. Hæc sententia est de mente D. Augusti. quæst. 166. D. Augusti super Exod. & quæst. 15 super Deuteron. tom. 4. ubi ait: Priores tabulas & Deus fecit, & Deus scripsit. Et post pauca subdit agens de primis tabulis, ait: In primis solius opus Dei commemoratur. Rabbanus lib. 2. in Exod. cap. 20. & Rabban. lib. 1. in Deuteron. cap. 15. Cardinalis Hugo. c. 9. Hugo. Deuteron. exponens vers. 10. ait: Quod dicitur hinc intelligitur de primis tabulis, de quibus non est dubium, quin Deus scripserit eas. Glossa illa super Exodum loquitur de secundis tabulis, quas Moyses Domino dictante per Angelum scripsit. Et post pauca subdit: primas tabulas Dominus solus scripsit, secundas Dominus & Moyses. Dominus ut Magister dictans; Moyses ut minister notans: In hæc sententia est, Lahay Exod. 31. conception. 37. Celada de Benedicti. Patriarch. §. 305. n. 3. Castillo de ornatus Avonis. vers. 37. Andica à n. 97. Mag. Antonin à Matre Dei in Isagogicam Matre Dei. scriptur. Præclud. digressionem 1. sect. 3. n. 3. Et hæc sententia mihi probabilior videtur.

Lahay. Celada. Castillo.

Andica à Matre Dei.

Probatur prima pars, quod prima tabula fuerint immediate conscriptæ à Deo, ac ejus Divina virtute, & non per Angelum, ne videatur violentiam inferri textui, dicitur Exod. 31. n. 18. Dedique Dominus Moysi duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei. Et Exod. 32. n. 15. Reversus est Moyses de monte portans duas tabulas testimonii in manu sua scriptas ex utraque parte, & factas opere Dei; & scriptura Dei erat sculpta in tabulis, Deuteron. 9. Deuter. 9. num. 10. ait Moyses. Dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei. Docet in hæc sententiam, quia dum dicuntur tabulae scriptæ digito Dei, videtur denotari aliquid amplius quam justione Dei; nam et si Rex dicatur scribere, vel facere, cum mandat per ministros suos scribere, vel facere; tamen tunc non dicitur scribere, vel facere manu sua, vel proprio digito suo; ergo cum hæc tabulae non solum dicuntur scriptæ, vel factæ à Deo, sed opere Dei, digito Dei, videtur aliquid magis particulare, ac peculiare hæc indicari.

200.

Exod. 31.

Exod. 32.

201.

Probatur secundò, juxta communem regulam D. Augustini, ac sanctorum Patrum; quia verba Scripturae cum proprietate sermonis accipienda sunt, cum inde nullum absurdum sequitur; Atqui nullam inde sequitur, ex eo quod dicamus, Deum immediate per suam virtutem has tabulas scripsisse, ergo ita intelligendum est, & proprietates verborum ad hoc nos maxime inducit.

Probatur, Tertio Quia eodem modo dicitur Deus scripsisse has tabulas digito suo, ac dicuntur cæli opera digitorum Dei. Psalm. 8. Psalm. 8. n. 4. & ex eo quod cæli dicuntur opera digitorum Dei, inde bene probantur interpretari, ut habetur apud Lorin. cælos, & cæteras res visibiles non esse ministerio Angelorum Lorin. factas, sed immediate à Deo per suam virtutem; ergo & similiter ex eadem phrasi loquendi, debeamus colligere illas primas tabulas, non esse ministerio Angelorum conscriptas. Idem etiam probari potest ex illo Psalm. 109. num. 26. Initio tu Domine terram fundasti.

Psalm. 109.

Psalm. 109.